

**DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA,  
SISTENS  
OBSERVATA IN CLINICO  
MEDICO PRO MEDICIS  
REG. SCEINT. UNIVERSITAT. HUNGAR. SEMESTRI  
ALTERO ANNI 1829 COLLECTA,  
QUAM NUTU ET AUCTORITATE  
MAGNIFICI DOMINI  
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,  
SPECTABILIS DOMINI DECANI  
NEC NON  
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM  
PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA  
RITE CONSEQUENDA  
IN ALMA AC CELEBERRIMA  
R. SCIENTIARUM UNIVERSITATE  
PESTIENSI,  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT  
*JOSEPHUS BRAÜER,*  
ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER,  
EP IN REG. SCIENT. UNIVERSITATE PESTIENSI PROFESSORIS  
PRAXEOS MEDICAE PRO MEDICIS H. T. ASSISTENS.**

IN THESES CALCI ADNEXAS PUBLICE DISPUTABITUR IN AEDIBUS  
FACULTATIS MEDICAE. DIE 23. DEC. 1830.

---

PESTINI,  
TYPIS JOSEPHI BEIMEL, TYPOGRAPHIAE STRIGO-  
NIENSIS ET UNIUS E PESTANIS PROPRIETARI.

**Qui bene distingnit, bene medebitur.**

PERILLUSTRI CELEBERRIMO  
INTEGERRIMO DOCTISSIMO  
MAGNIFICO DOMINO  
**MICHAELI A LENHOSSÉK,**

MED. DOCT. I. REGNI HUNGARIAE PROTOMEDICO, S.  
CAES. ET REG. APOST. MAJEST. AD EXCELS. CONSLIUM  
REGIUM LOCUMTENENTIALE HUNGARICUM A CONSLIIS  
I. ORD. R. SVECICI GUSTAVI VASAE EQUITI. FACULTA-  
TIS MEDICAЕ REG. SCIENT. UNIV. PESTIENSIS PRAE-  
SIDI, ET STUDII MEDICO-CHIRURG. DIRECTORI, FA-  
CULTATIS MEDICAЕ CAES. REG. SCIENT. UNIVERSITA-  
TIS VINDOBONENSIS, ET ACAD. MEDICO-CHIRURG. JO-  
SEPHINAЕ, NEC NON R. BRITTANN. SOCIETATIS SCIENT.  
GÖTTINGENSIS, MEDICO-PHYSICAE ERLANGENSIS, ME-  
DICO-CHIRURG. ACADEMIAЕ NEAPOLITANAЕ, BEROLI-  
NENSIS, CAES. PETROPOLITANAЕ ETC. MEMBRO,  
PLURIEM II. COMITATUUM TABULAE JUDICIAIE  
ASSESSORI etc. etc.

**V I R O**

**SCIENTIA MERITIS AC VIRTUTIBUS**

**ILLUSTRI**

**SUPREMO. SALUTIS. GENTIS PANNONICAE. VIGILI  
PRINCIPI. CIVIBUS. CARO.**

**SUO. PIE. VENERANDO. FAUTORI**

**IN PERPETUUM' ANIMI TENERRIMI GRATIQUE TESTIMONIUM  
HASCE TENUES PAGELLAS SACRAS VULT**

**D. D. D.**

**Devotissimus  
Auctor.**

## P r o œ m i u m.

Haud a re alienum me facturum ipse mecum deliberaveram, si innixus argumentis, viam calcitratam plurium Cl. D. praedecessorum meorum ingressus fuero; et observata Clinica communi labore sub auspiciis eruditissimi ac experientissimi Viri facta, publici juris tenui hoc opusculo fecero. — Etenim quanti Experientia in arte nostra certe saluberrima habenda, viri CC. omnis aevi perspexerunt, et perspicet omnis artis hippocraticae Minister verus; ex ea enim haurimus remediorum in organismum, et hujus ad illos relationem, ex illa nobis character morborum regnans, factor certe non exiguis in Medicina, patefit; his accedunt argumenta non pauca a viris CC. prolata, quibus hie ne nimius sim supersedere oportunum esse

duxī. — Ubi vero exactius, ubi penitus haec  
hauriri potest quam in loco, ubi penes mul-  
titudinem objectorum observationi certe non  
parva datur occasio, ubi penes tantum cam-  
pum observationum, et curata eorum fit  
connotatio. Si igitur opusculum iis, qui non  
majorem quam ego hauserunt observandi  
occasionem aliquam saltem utilitatem attu-  
lerit. Illi vero, qui artis jam periti sunt, il-  
lud non reprobraverint, me scopum meum  
attigisse lubens declaro.

---

# Conspectus generalis

status Nosocomii Quimestri altero anni 1829.

## Nomen morborum.

	Residui e t-o Quimestri	suscepti	sanati	emendati	mortui
Febris . . . . .	9	44	52	—	1
Inflammationes . . . . .	3	16	18	—	1
Exanthemata . . . . .	1	4	4	1	1
Cachexiae . . . . .	1	4	3	1	1
Profluvinum . . . . .	—	1	1	—	—
Nevroses . . . . .	1	2	1	2	—
<b>Summa</b>	<b>15</b>	<b>71</b>	<b>79</b>	<b>4</b>	<b>3</b>

# Conspectus morborum et curae contra eos adhibitae specialis.

## A p r i l i s.

Temperatura atmosphaerae in genere hoc mense frigida erat; plurimi dies erant ventosi. Perfecte serena dies nulla erat; pluviae novem diebus cecidere.

Maximum Barometri	27 <sup>II</sup>	4 <sup>III</sup>	(20 27°)
Minimum	-	26 <sup>II</sup>	7 <sup>III</sup> (1)
Maximum Thermometri	-	+ 16° 3'	R. (25)
Minimum	-	+ 3° 3'	R. (29)

Morbi plurimi hoc mense observati erant febres gastrico catarrhales, et febres intermittentes, charactere ut observationes in et extra nosocomium factae testantur inflammatorio decurrentes. Illae praesertim extra clinicum emeticis aut purgantibus tractatae, facile in statum adynamicum saepe lethalem transiere. Hae methodo mitiori antiphlogisticae, aut pulv. flor. Cham. vulg. obtemperarunt, raro efficaciorum remediorum actio succurrere debuit.

Nomen morbi.

	Residui Martio	suscepti	sanati	emendati	mortui	remenant
Febris gastrica . . . . .	2	1	2	—	—	1
Febris rheumatica . . . . .	1	3	2	—	—	2
Febris rheumatico catarrhalis . . . . .	1	—	—	—	—	1
Febris gastrico catarrhalis . . . . .	2	2	4	—	—	—
Febris gastrico catarrhalis nervosa . . . . .	1	2	—	—	2	1
Febris rheumatico gastrica	—	1	1	—	—	—
Febris intermittens . . . . .	2	4	4	—	—	2
Otitis . . . . .	1	—	1	—	—	—
Gastroenteritis cum hepatitis . . . . .	—	1	—	—	1	—
Peritonitis . . . . .	—	1	1	—	—	—
Metritis . . . . .	2	—	2	—	—	—
Orchitis . . . . .	—	1	—	—	—	1
Erysipelas . . . . .	—	1	1	—	—	—
Variolae cum psora . . . . .	1	—	—	—	—	1
Cachexia febrilis . . . . .	—	1	1	—	—	—
Syphilis . . . . .	1	1	—	—	—	2
Ishias . . . . .	1	—	—	—	—	1
<b>Universim</b>		<b>15</b>	<b>19</b>	<b>19</b>	<b>—</b>	<b>3 12</b>

# I) Febris gastrico catarrhalis cum diarrhoea.

Florianus S. annorum 22 habitu tenero praeditus, parentibus sanis natus, pistor sodalis, vaccinatus. In pueritia tinea capitis, et herpete laboravit, autocratia naturae superatis, anno aetatis 20 tussi incipit vexari, quae per vices rediens, ad praesentis usque morbi evolutionem perdurat. 20. Martii post absumptum caseum, et haustam maiori quantitate aquam frigidam, noctu corripitur febri, cum cephalaea intensa frontali, et sensu ponderis in ventriculo. 21. ad appetitum abolitum restituendum, haurit cerevisiae quantitatem sat magnam; redditur status aegri deterior, lassitudo magna corpus tenet, sitis normali maior sit, alvus quinques liquida sine levamine deponitur. 22. ob debilitatem incrementem lecto se committit aeger; die. impacate transacto, ingruit vesperi exacerbatio major, noctu alvus quinques subsequitur. 23. statu eodem perdurante aeger in Clinicum suscipitur, ubi sequentia obtulit observanda dedolationem artuum magnam, pulsum normali frequentiorem, plenum, calorem cutis transpirantis auctum; accusatur ab aegro cephalaea frontalis, sapor oris fatuus, appetitus cibi nullus, sitis aucta, et dolor in regione umbilicali; lingua muco albicante tecta conspicitur, tussis rara cum sputis paucis serosis, urina colore profundiore tincta visa, alvus una diarrhoica deposita. Ob haec die 24. praeter vitae regimen antiphlogisticum, interne decoctum althaeae prescribitur; perdurat status idem, alvus octies sine levamine deponitur, vesperi exacerbatio febrilis major, urina aurantiaca. 25. aucto dolore regionis umbilicalis, 12 hirudines eidem regioni apponuntur, haemorrhagia per horam sustentatur, interne eadem medicina continuatur. Imminuntur ad hanc therapiam dolores, et eodem

passu fere febris decrescit ita, ut vesperi exacerbatio  
 multo minor sequeretur, alvus terna liquida depo-  
 nitur, urina aurantiaca visa. 26. Decoctum salep cum  
 syrupo papav. albi ordinatur, emendatur appetitus  
 cibi, siti multum inminuta; dolor in regione umbi-  
 licali nullus, sudor largus tota die corpus tenet cum  
 levamine, exacerbatio febrilis vesperi minor, alvus  
 bina deposita, tussis rara observatur cum sputis  
 paucis serosis; noctu tamen dolor in regione epiga-  
 strica comparet continuus fixus, somnum fugans, cum  
 siti quoque aucta, alvus quaterna diarrhoica sine  
 levamine deponitur. Ordinatur ideo die 27. ut re-  
 gioni dolenti hirudines 12 apponantur, decocto sa-  
 lep ultro quoque continuato. Hoemorrhagia per ho-  
 ram sustentata dolor omnis cessat, pulsus minus fre-  
 quens tangitur, calor cutis, sitis quoque minor eva-  
 dit, tussis rara aegrum vexat, appetitus cibi ali-  
 quantum melior se insinuat, vespertina exacerbatio-  
 ne minore subsecuta, nox quoque pacatius transi-  
 gitur; alvus sexies liquida evacuatur, urina profun-  
 dius tincta viſa. 28-a ob diarrhaeam ipecacuanhae  
 gran. unum cum pulv. gummi arab. et sacharo 'albo  
 in 12 partes divisum exhibetur, retento decocto  
 salep, sudor moderatus tota die continuat, sitis, ca-  
 lor, pulsus, magis ad normalem statum redeunt, al-  
 vus septies deponitur, tussis rara auditur, cum spu-  
 tis serosis; noctu epistaxis levamen in capite adfe-  
 rens comparet. 29. sub therapia eadem febris sym-  
 ptomata mitissima fiunt, tussis rara cum sputis pau-  
 cissimis comparet, alvus quaterna diarrhoica depo-  
 nitur. 30. Therapia eadem continua, omnia magis  
 ad normalem statum redeunt, alvus tamen terna  
 diarrhoica deponitur. Perdurat haec et die 31-a sub  
 continuatione ejusdem therapiae; ideo 1-a aprilis  
 scopo diarrhoeam sistendi, praescribitur inf. rad.  
 arnicae ad un. octo e drach. duabus cum mucilag.  
 gummi arab., alvus terna liquida deponitur, sudor  
 moderatus continuat, tussis silet. 2-a idem decoctum

e drach. tribus paratum exhibemus, alvus bina eva-  
cuatur consistentiae majoris; quae et 3-a ubi eadem  
medicina repetitur, continuat; ideo 4-a eodem scopo  
laudani puri et ipecacuanhae aa gr. unum cum pulv.  
gummi arab. et extract. cascarill. aa. scrup. semis  
in pilulas 12 subigi jubentur, quarum illa die sex  
absumat; sequitur alvus una consistentiae majoris,  
5-a et 6-a pilulis tribus per diem sumtis, alvus una  
parum liquida sequitur, ideo 7-a aeger sine medi-  
cina relinquitur, et cum nulla symptomata morbosa  
observata sunt, die 10. aprilis sanus dimittitur.

## 2) Febris gastrico rheumatica.

J. K. puella annorum 16, habitu bono donata. Variolas naturales in infantia perpessa, catamenia, quae anno 14 comparuerunt, cyclum semper regu-  
lariter absolveruut. — 10. Aprilis post admissum  
refrigerium persentit symptomata febris, cum do-  
loribus tendentibus, lancingantibus nuchae et colli.  
Sequentibus diebus perdurat morbus, subsequente  
semper exacerbatione vespertina, 13-a ob alvum in  
tertium diem obstipam, a Medico purgans medici-  
na praescribitur, ad quam alvus sexies sequitur li-  
quida, sine levamine. 14-a medicinam diaforeti-  
cam sumit, absque effectu, 15. in Clinicum suscipi-  
tur ubi observare licet dedolationem artuum ma-  
gnam, calorem cutis auctum, pulsum normali fre-  
quentiorem plenum, cephalaeam intensam imprimis  
temporalem, dolores tendentes lancingantes nuchae et  
colli, motum capitis liberum impedientes, linguam mu-  
co albicante tectam, alvum unam liquidam, urinam  
profundiori colore tinctam, 16-a præter vitae re-  
gimen antiphlogisticum, decoctum hordei cum oxymel-  
le simplici ordinatur. Dolores colli minores evadunt,  
augetur vero cephalaea, sitis, et calor cutis, sudor  
continutus perstat, vesperi exacerbatio major ingruit,

alvus quaterna liquida deponitur, 17. mane dolores obtusos in toto abdomine accusat, ad ad tactum omnem augendos, alvo diarrhoica perstante, prescribitur eidem decoctum salep cum syr; papaveris salbi, dolores abdominalis prestant, doloribus collievanidis, alvus sexies deponitur liquida, vesperi febris manifesta; nocte impacata subsecuta 18. praeter symptomata supra memorata perstantia, linguae siccitas ingruit, simul et vertigo sub situ erecto aegram invadit. Diarrhaea perstante pulveres sex ex opii puri ac ipecac. aa. gr. semis cum sacharo albo exhibentur, suris vero sinapismi apponuntur; continuat tamen febris cum cuti sicca; cephalaea, et doloribus abdominalis perstantibus, accedunt his subsultus tendinum, et debilitas muscularis major, alvus terrena deponitur, urina profundius tincta. 19. mane sudor largus aegram invadit nullum levamen ferens, dolores abdominalis perstant, apponuntur regioni umbilicali 12 hirudines, decoctum vero salep quod et heri repetitum est, denuo ordinatur, sequitur ad haec emendatio, nam cutis de die sicca, vesperi sudore universaliter largo perfunditur, lingua humida evadit, capitum et abdominalis dolores multum mitigati referuntur, alvus terrena deponitur liquida. 20. repetitur decoctum salep; ad quod status emendationis heri subsecutus continuat, cephalaea minor, dolores abdominalis minores accusantur, vesperi exacerbatio minor, alvus terrena liquida deponitur, urina sedimento puriformi instructa visa. 21 aegram emendatam sub eadem Therapia relinquendam ordinatur, effectu eo: ut omnia symptomata morbi sensim inminuerentur, alvus quaterna secuta liquida. 22-a 23-a sub usu ejusdem medicinae morbus magis magisque decrescere observatur, alvus prima die bina altera vero nulla sequitur. 24-a aegra sine medicina relicta est. Die pacate transacta versus vesperas calor cutis parum iterum augetur, pulsus frequentior, sitis major evadit, urina coloris profun-

dioris visa ideo 25. Pul. gummi arab drach una, in aquae dest simpl, unc. sex cum sach. albo aegrae exhibetur, sequitur sudor moderatus, cum inminutio symptomatum febris, comparentque simul miliara copiosa in abdomen, alvus bina sequitur. Die 23 sub usu ejusdem medicinae omnia ad statum normalem redire visa; quare postquam 27. 28. 29. sine medicina relicta nihil morbosi offerret, die 30. sana dimititur.

## M a j u s.

Aér toto hoc meno subfrigidus erat, dies perfecte serena nulla observata, pluviae 11 viciis cecidere, nives una vice quippe 1-ma observatae. Ventus dominans erat Nn.

Maximum Barometri 27° 7<sup>II</sup> (24.)

Minimum — 27° 0<sup>II</sup> (31.)

Maximum Thermometri 17° R. (28. 31.)

Minimum — 4° R. (2.)

Morbi praedominantes hoc mense fuerant febres intermitentes sed mitiores, characterem utplurimum mitiorem inflammatorium praeseferentes; ideo initio methodo mitiori antiphlogistica tractatae, huic soli duae obediverunt; una decocto rhois contini cum spir: aeth: sulf: sublata exstitit, plurimae cortice chiae brevi debellatae sunt. In uno casu unguentum cum sulfate chinini paratum, et brachij applicatum, cuti prius per empl. cantharidum epidermide privata, febrim sustulit. Reliquorum morborum quoque utplurimum character inflammatorius erat.

## Nomen morbi.

	Residui a mense aprilii	suscepti	sanati	emendati	mortui	remanent
Febris gastrica . . . . .	1	2	3	—	—	—
Febris rheumatica . . . . .	2	—	2	—	—	—
Febris rheumatico catarr- halis . . . . .	1	—	1	—	—	—
Febris gastrico catarrha- lis . . . . .	—	1	—	—	—	1
Febris gastrico catarrha- lis cum nephritide	—	1	1	—	—	—
Febris gastrico catarrha- lis nervosa . . . . .	1	—	—	—	1	—
Febris intermittens . . . . .	2	9	8	—	—	5
Pleuropneumonia . . . . .	2	2	—	—	—	—
Lienitis . . . . .	1	1	—	—	—	—
Enteritis . . . . .	2	1	—	—	—	1
Metritis . . . . .	1	—	—	—	—	1
Peritonitis . . . . .	1	—	—	—	—	1
Orchitis . . . . .	1	—	1	—	—	—
Variolae cum psora . . . . .	1	—	1	—	—	—
Herpes . . . . .	1	—	—	—	—	1
Hydrops . . . . .	1	—	—	—	—	1
Syphilis . . . . .	2	1	2	—	—	1
Catarrhus bronchialis . . . . .	1	—	1	—	—	—
Ishias . . . . .	1	—	1	—	—	—
Summa	12	24	25	—	1	10

# 1.) Febris gastrico catarrhalis cum Nephritide.

Ludov. K. puer annorum 12, hahitus boni, sartor tiro; contra variolas vaccina munitus, morbillos in pueritia feliciter superavit. 8. May e causa sibi ignota corripitur febri, cum anorexia, doloribus sacro-lumbalibus lateris utriusque, tum in regione supra symphysis ossium pubis scindentibus, urinae evacuatio cum ardore conjuncta est. Sequentibus diebus aeger officio suo fungi coactus, dedolacionem artuum, uti et dolores supradictos increscere observat, comparetque simul alvus diarrhoica; phar-maco nullo contra morbum utitur, sitim aqua sedat, appetitus prostratus sentitur. Hoc in statu suscipitur in Clinicum die 17. May, ubi observatur: debilitas magna ita, ut aeger vix se sustentare par fuerat, cephalaea frontalis gravativa, pulsus normali frequentior plenus, calor cutis sicce multum normali major, lingua praerubra sicca, muco albo tecta, sitis intensa, appetitus prostratus; accusatur sensus pressivus sub sterno, tussis partim sicca, partim sputis mucosis juncta, dolor in regione renali utraque, ac vesicae tūrinariae pungens, scindens, sub respiratione profundiori, tussi, et attactu omni illius regionis augendus, urina parca cum ardore evācuat, alvus terna liquida deponitur, praeterea in toto corpore, imprimis pectore, petechiae copiosae observantur. Nocte impacate transacta 18. morbo phlogistico methodus antiphlogistica opponitur; apponuntur quippe regioni sacro lumbali hirudines 12, interne vero emulsio cannabina sumenda ordinatur; remittunt dolores omnes; pulsus, calor cutis, sitis, cephalaea, magis moderati fiunt, lingua magis humida reperta, tussis immutata persistit, alvus quina liquida evācuat, urina quamquam parca cum minori tamen ardore mittitur, petechiae in eodem

persistunt statu 19. emulsioni decoctum salep cum  
 syrupo papav. albi substituitur, diaeta tenuis con-  
 tinuatur eo effectu: ut symptomatibus reliquis in co-  
 dem gradu perdurantibus, alvus solum terna depo-  
 neretur liquida, et petechiae pallescerent; noctu tussi-  
 sis major ingruit, comparetque simul sudor moder-  
 ratus universalis, non tamen diu persistens. 20-a  
 sub therapia eadem status reliquus idem est, excepta  
 respiratione; quae brevis, velox anhelosa fit, et ex-  
 cepto dolore sub sterno, qui aliquantum augetur;  
 alvus bina evacuatur, urina pauca flammea obser-  
 vatur. 21. mane sub sudore moderato universalis qui  
 se noctu insinuavit, respiratio fit pacatior, et eadem  
 tota die, qua medicina hesterna repetita fuit, per-  
 stat, dolore tamen vix inminuto; lingua humida con-  
 spicitur, sitis minor accusatur, alvus terna deponi-  
 tur liquida, petechiae aliae pallescunt, aliae dispa-  
 rent. 22-a praeter idem decoctum continuandum,  
 cataplasmata emollientia quater per diem pectori et  
 abdomini applicanda ordinantur; sub quorum usu  
 dolores aliquantum mitigati sunt, tussis minus sicca  
 est, sputis mucosis stipata, alvus quaterna liquida  
 cum tenesmo evacuatur, urina cum dolore missa,  
 sedimentum puriforme deponit. 23. sub therapia hes-  
 terna, sudor moderatus corpus universum per vi-  
 ces tegit, symptomata omnia imminui visa, ast do-  
 lor in regione vesicae urinariae perstat, cum ardore  
 sub urinae evacuatione. Ideo 24. hirudines 6 eidem  
 regioni apponi jubentur, reliquis etiam continuatis;  
 ad quod dolores multum inminuuntur, et cum ho-  
 rum inminutione ipsa urinae evacuatio magis expe-  
 dita fit, alvus bina evacuatur, petechiae plurimac  
 disperguntur. 25. 26. et 27. sub usu ejusdem decocti, et  
 cataplasmatum emollientium, dolores omnes, cum  
 reliquis symptomatibus morbosis dispergent; solo do-  
 lore in vesica urinaria sub tussi, quae aliquantum  
 frequentior erat, perceptibili perstante, alvus ad bi-  
 nam per nychtemerum reducitur. 28-a sola tussi,

et dolore exiguo sub ea, in regione vesicae urinariae perceptibili existentibus, aeger viribus naturae committitur, diaeta augetur. Disparent sensim omnia symptomata morbosa ita: ut aeger 31-a sanitati pristinae restitutus, dimissus fuerit,

## 2.) Enteritis.

Elisab. S. annorum 30 habitus boni, caelebs, coqua. Variolas naturales, morbillos in pueritia, febris nervosam anno aetatis 16. tum intermittentem ante annos tres, isthmitidem bis anno proxime praeterlapso feliciter superavit, auxilio medico suffulta, catameniis semper normalibus gaudebat hucadusque, ultimo ante tres hebdomades fluxere. 20-a hujus refrigerio admisso febri corripitur, cui se adsociant dolores continuí, initio torquentes, sensim intensiores, tandem scindentes totum abdomen occupantes; accedit alvus permultis vicibus et liquida evacuata sine levamine, et vomititio continua. Nocte impacate transacta 21. sumit emeticum, dein infusum ex herbis aromaticis cum augmentatione morbi, 22. exhibitum decoctum salep dolores mitigat, alvum rariorem reddit, quo in statu aegra eadem die in Clinicum suscipitur; observatur dedolatio artuum summa, calor cutis sicce multum auctus, pulsus frequens contractus; accusatur cephalaea intensa, sitis aucta, appetitus prostratus; lingua muco albicante tecta visa, praeterea conqueritur de dolore summo, constringente, scidente, continuo, fixo totius abdominis, attactu omni, et inspiratione profundiori augendo, alvus septies liquida valde foetida deponitur, urina est coloris profundioris. 23. praeter vitae regimen antiphlogisticum, 20 hirudines regioni umbilicali applicari jubentur, pro usu interno decoctum salep cum syrupo pap. albi aegrae exhibetur, dolores multum remittunt,

cephalaea, sifis minores evadunt, pulsus minus frequens, magis liber sit, calor cutis magis moderatus evadit, alvus octies liquida evacuatur. 24-a sub usu decocti salep, et vitae regimine antiphlogistico, dolores multum inminuuntur, febris symptomata mitiora evadunt, alvus sexies deponitur. 25. et 26. idem decoctum continuatur, sub ejus usu dolores in tantum imminuuntur, ut tantum ad attactum sentirentur, cutis continuo in moderato sudore constituta est, appetitus cibi reddit, febris mitissima observatur, alvus quotidie terna ponitur. 27. ad dolores residuos tollendos, cataplasma emolliens abdomini quater per diem applicari jubetur eo effectu: ut dolores omnes dissiparentur, alvus nulla mota, febris omnis sublata existeret, ideo 28. et sequenti die feminae reconvalescenti victus magis nutriens conceditur, sub ejus, et motus corporis moderati usu, vires pristinae sanitatis recuperatae sunt ita: ut 30. femina sana Clinico valedixerit.

## J u n i u s.

Dies e toto serena nulla, septem nebulis tectae, pluvia 12 cecidit diebus. Tempestas fuit 2-a 14-a 29-a Ventus praedominans fuit NV. Turbo ter.

Maximum Barometri 27<sup>II</sup> 6<sup>III</sup>

Minimum — 27<sup>II</sup> 3<sup>III</sup>

Maximum Thermometri + 22° 4' (28.)

Minimum — + 5° 7' (1.)

Morborum character inflammatorius et hac mense esse continuabat, sed mitioris gradus, morbus praedominans erat febris intermittens, inflammatio-nes phlegmonasae rarae, sed et haec mitioris gradus erant.

## Nomen morbi.

	Residui a mense Majo	suscepti	sanati	emendati	mortui	remenant
Febris gastrica . . . . .	1	3	5	1	1	1
Febris gastrico catarrhalis	1	2	1	1	1	2
Febris intermittens . . . .	1	3	6	1	1	1
Pleuroperipneumonia . . . .	1	1	1	1	1	1
Peritonitis . . . . .	1	1	2	1	1	1
Enteritis . . . . .	1	1	1	1	1	1
Metritis . . . . .	1	1	2	1	1	1
Orchitis . . . . .	1	1	1	1	1	1
Scarlatina . . . . .	1	1	1	1	1	1
Crusta faciei . . . . .	1	1	1	1	1	1
Herpes . . . . .	1	1	1	1	1	1
Hydrops . . . . .	1	1	1	1	1	1
Syphilis . . . . .	1	1	1	1	1	1
Paralysis . . . . .	2	1	1	1	1	2
<b>Summa</b>	<b>10</b>	<b>17</b>	<b>17</b>	<b>10</b>	<b>10</b>	

# I) Febris gastrico catarrhalis.

Cath. M. puella habitu bono praedita, annorum 26; Variolas in pueritia, tardius febrim intermittentem, ante duos vero annos febrim biliosam feliciter auxilio Medici suffulta superavit. Catamenia ab anno 15; quo prima vice comparuere, semper regulariter fluxere. — 23-a hujus praegressis pluribus jam diebus appetitu cibi prostrato, corripitur motibus febrilibus cum pressione in ventriculo, nausea ructibus, vomituritione inani; sequentibus diebus morbus mane remittit, vesperi semper exasperandus, alvus est obstipa. 25-a ad medicinam stimulantem eidem propinatam calores sentit majores, cephalaea imprimis affligitur intensa. Hoc in statu 26-a May Clinicum ingreditur, ubi observatur dedolatio artuum magna, calor cutis auctus, pulsus normali frequentior, duriusculus, lingua muco albicante tecta; accusat cephalaeam intensam, sitim auctam, appetitum prostratum; nauseam, vomituritionem, doloremque in regione epigastrica; tussis est rara cum sputis paucis; urina colore profundiori tincta, alvus non mota. 27. qua aegra observationi ulteriori sine medicina relinquitur; status idem continuat, aucto dolore premente sub sterno, profunda inspiratione, tussi nunquam frequentius comparente magis intendendo, sputa serosa majori quantitate secernuntur; urina coloris profundioris visa, ideo 28-a hirudines 12 ad regionem sternalem pectori apponi jubentur, et praeter vitae regimen antiphlogisticum, interne decoctum hordei cum oxym. simp. ordinatur, dolore remisso, tussis tota die perdurat, sputis iisdem stipata, febris exacerbatio vesperi sat notabilis, alvus in quartum diem obstipa, exhibentur ob haec 29-a in decocto graminis sulfatis lixivae, et extract. liquiritiae aa. drach. duae, alvus tamen nulla movetur; ructus, vomitu-

ritio perdurat, imo vomitus ipse biliostis semel ante meridiem sequitur, vesperi exacerbatio febrilis major, urina coloris profundioris, tussis rara. 30-a saburra manifesta in ventriculo existente, tart. emet. grana tria, in aquae dest. simpl. un. tribus aegrae propinantur, ut inde omni  $1\frac{1}{4}$  horae cochl. cibario sumat, donec binus vomitus secutus fuerit. Absumptis dosibus sex, vomitus ternus sequitur biliostis, cum imminutione insigni symptomatum, tussis rara auditur, alvus quinquies liquida deponitur, vesperi febris mitior, sitis tamen magna; noctu accedit deglutitio dolorifica rubore faucium juncta, ideo 31-a praeter decoctum salep interne propinatum, gargarisma ex aqua tepida et roob mororum constans aegrae commendatur, quater per diem adhibendum. Rubor et dolor faucium minor, ast vertigo se sub situ erecto insinuat, appetitus cibi melior, sitis normalis, tussis rara, febris vesperi mitissima alvus clausa, urina profundius tincta. 1-a Junii decoctum hordei cum oxym. simpl. ordinatur, gargarisma continuatur, dolor ruborque faucium disparat, appetitus bonus, sed vesperi exacerbatio major redit febrilis, sapor oris fit amarus, alvus nulla secuta, urina jumentosa. 2-a purgans de 29. May aegrae porrigitur, alvus sequitur terna cum aliquo levamine, sapor oris amarus, appetitus prostratus perdurant, lingua muco flavicante tecta observatur, tussis rara, 3-a aegra sine medicina observationi relinquitur. Redeunt ructus et vomitatio, ceteris perdurantibus, alvus bina, urina sedimento puriformi instructa. 4-a mane vomitus mucosus sequitur, datur aegrae in decocto althaeae, spir. vitrioli drach. semis, cum syrup. rubi idaci un. semis. Post meridiem anxietas redit, calor cutis augeatur, pulsus fit frequentior, tussis quoque, sputa plura, dolorem sub sterno dum tussit percipitur, caput temulentum accusatur, alvus nulla. 5-a ob haec in emulsione amygdalarum dulcium camph. gr. unum ordinatur, ad. revulsionem autem a pectore

faciendam empl. cantharidum apponitur regioni  
 sternali, pro cibo jusculum vinaceum conceditur.  
 Capitis gravedo minor, tussis rarer, dolor pecto-  
 ris disparat, febris vesperi minor, alvus bina. 6-a  
 camphorae dosis ad gr. semis inminuitur. Vertigo  
 perstat, tussis rara, motus febriles mites, 7-a li-  
 quoris anod. min. Hoff. cum tinc cort. aurant. aa.  
 drach. una ordinatur, ut omni trihorio sex guttae  
 in aqua sumantur, diaeta aucta. Vertigo capitis  
 minor, appetitus autem melior, et tussis rara,  
 motus febriles nulli, alvus terna, urina citrina, sub  
 situ erecto vomitus semel sequitur. 8-a idem medi-  
 camen ad gut. octo porrigitur: Emendatio continuat,  
 tussis rara, lassitudo corporis magna, vesperi ae-  
 gra surgens vomit, ideo 9-a praeter guttas conti-  
 nuandas, et spiritus aromaticus ordinatur, ut sibi  
 bis per diem abdomen inungat. Emendatio insigni  
 aegrae accedit, tussis rara, sputa pauca, 10-a 11-a  
 sub therapia eadem vires corporis magis redeunt,  
 ast refrigerio admisso, tussis recrudescit cum sputi  
 copiosis, ad quam tollendam 12-a extract. hyosciam  
 ad gran. duo, cum sacharo in quatuor dosibus ae-  
 grae ordinatur, sub cuius usu et 13-a continuato,  
 redditur tussis mitior, sputis paucioribus comitata,  
 ut tamen eo citius tollatur 14-a 15-a ad grana tria  
 idem extractum aegrae exhibetur, et cum tussis ne-  
 dum cessaret, ut ut minueretur, idem extractum ad  
 gran. quatuor sumit aegra 16-a usque 19-am; sub  
 cuius et diaetae roborantis usu, tussis omnis cessa-  
 vit, vires musculares in tantum rediere, ut aegra  
 22-a qua sana Clinico valedixerit.

## 2) Peritonitis in puerpera.

Cath. K. habitus tenerioris, annorum 17, an-  
 cilla caelebs, vaccinata, varicellas, miliaria, et ver-  
 mes intestinales in pueritia feliciter autocratia na-

turae superavit. Catamenia ab anno aetatis 14. fluunt, sed abnormiter ita: ut uno alterove mense silerent, sponte rursus comparitura, graviditate feliciter exacta, sexta ab hinc septimana prolem gignit matram facile, quam ipsa non lactat, fluxus lochiorum ad morbum praesentem perdurat. 28-a May anni currentis admisso refrigerio sentit dolorēm pungen-tem in regione pubis, umbilicali, ac lumbali dextra continuum fixum, attactu vel levi augendum, adsunt simul motus febriles, serius accedit tussis rara spu-tis mucosis juncta, et alvus liquida. Hoc in statu suscipitur in Clinicum 1-a Junii ubi accusat dedo-lationem artuum magnam, cephalaeam, sitim au-ctam, appetitum prostratum, et dolorem supra di-ctum perstantem; lingua est muco albicante tecta, calor cutis auctus, pulsus normali frequentior sub-durus, alvus terna evacuatur, urina colore profun-diore tincta visa. 2-a hirudines 12 abdomini apponi jubentur, interne decoctum salep cum syrupo pap-albi ordinatur, diaeta tenius. Haemorrhagia per ho-rām sustentata dolores multum remittunt, tussis rarior evadit, symptomata febrilia parum inminu-untr, appetitus prostratus persistit, alvus terna sequitur, urina aurantiaco colore tincta. 3-a calor siccus ope linteorum applicatur, decocto eodem re-petito. Dolores abdominis per vices redeunt, febri-lia signa uti heri perdurant, alvus quinques liqui-da, urina aurantiaca. 4-a eadem therapia continua-ta febris symptomata eodem gradu continuant, do-lores per vices abdomen infestant, tussis rara, alvus bina, urina profundius tincta, fluxus lochiorum con-tinuat. 5-a sub eadem therapia status hesternus per-durat, comparet tamen sudor largus, fluxus lochiorum una cum tussi continuat, alvus bina, urina se-dimento puriformi instructa. 6-ta eidem therapiae insi-stitur, sub qua sudor moderatus continuat, lin-gua magis depuratur, appetitus melior evadit, pul-sus minus frequens, minus durus, calor cutis minor.

tangitur, dolor per vices solum recurrit, tussis continuat una cum fluxu lochiorum, alvus bina moveatur; urina sedimento mucoso instructa. 7-a ob nau-seam a priori medicina, pulveris gummi arab. drach. una in aquae dest. simpl. unc. sex soluti, cum sach. albi un. semis substituitur, sub qua medicina emen-datio insignis aegrae accedit, sudor noctu largus, al-vus terna, urina colore profundiori tincta, fluxus lochiorum continuat, 8-a sub eadem therapia signa morbi disparent, praeter fluxum lochiorum adhuc largum, alvum diarrhoicam, urinam profundiori colore tinctam, ideo 9-a scopo antagonistico pulv. rad. ipecacuanhae gran. unum cum sacharo albo in quatuor dosibus exhibetur, sub cujus usu alvus una evacuatur, urina aurantiaca, fluxu lochiorum eodem existente. 10—11. et 12. sub eadem therapia alvus nōrmalis evacuatur, fluxus lochiorum sensim peni-tus cessat, urina fit coloris straminei, sed e refri-gerio admisso tussis rara accedit, cum sputis muco-sis, 13-a sine medicina relinquitur, ast tussis au-getur, ideo 14-a extractum hyosicami ad grana duo pro nycht. cum sach. albo in quatuor dosibus ae-grae exhibetur, diaeta quoque blande nutritive con-cessa, therapia hac et 15 continuata tussis omnis ces-sat, et functionibus sic ad normam restitutis 16. puella sana discedit.

## J u l i u s.

Atmosphaera toto hoc mense calida observata fuit, serena e toto dies nulla observata, pluvia 7-em cecidit diebus; pluvia cum tempestate quater, venti intensi quatuor diebus slabant, dominans erat Nn.

Maximum Barometri 27<sup>II</sup> 6<sup>III</sup> (22)

Minimum - 27<sup>II</sup> 0<sup>III</sup> (10)

Maximum Thermometri 24 R. (28)

Minimum - 10 R. (21)

Character morborum mitior inflammatorius  
linuabat et hoc mense, febres tamen intermittentes  
tonge rariores observatae sunt, in quorum vicem  
febres gastrico biliosae charactere mitiori inflamma-  
torio praeditae caput extollerunt, ipsae inflamma-  
tiones mitem naturam praescerebant.

## Nomen morbi.

	Residui e mense Janio	suscepti	sanati	emendati	mortui
Febris gastrica . . . . .	—	3	3	—	—
Febris gast. cum lienitide	1	1	1	—	—
Febris gast. rheumatica	2	1	1	—	—
Febris gast. catarrhalis	2	4	—	—	—
Febris rheumatica . . . . .	2	2	2	—	—
Febris intermittens . . . . .	1	1	1	—	—
Pleuroperipneumonia . . . . .	—	—	1	—	—
Peripneumonia catarrhalis	1	1	1	—	—
Enteritis . . . . .	1	—	1	—	—
Crusta faciei . . . . .	1	—	1	—	—
Herpes . . . . .	1	—	—	1	—
Syphilis . . . . .	1	—	—	1	—
Hydrops . . . . .	1	—	—	—	1
Paraesisis . . . . .	2	—	—	2	—
<b>Summa</b>	<b>10</b>	<b>11</b>	<b>16</b>	<b>4</b>	<b>1</b>

# I.) Paraeſis.

Joannes S. vir robustus annorum 42, nec vaccinatum, nec variolas perpessum se fuisse meminit, tineam capitis, febrim nervosam in pueritia bis, febrim biliosam, syphilitem topicam perpessus est, semper auxilio medico pristinae valetudini restitutus. Anno aetatis 30. infarctu hepatis ictero juncto corripitur, a quibus molestiis nonnisi ante duos annos liberatus e toto exstigit; cephalaea a quinque annis jam mitiori, jam intensiori laborat, mense Julio anni 1828. accessit morbo spasmus musculi orbicularis oris tonico chlonicus, hoc tamen purgantibus, et antiphlogisticis remediis sublato, mense Januario a. c. cephalaea reddita intensa, vena sectione, et purgantibus mitagata, 16. May spasmus primo extremitatum inferiorum, dein abdominis, ac demum extremitatum superiorum affligitur, frictione sola sublatis, 11-a Junii recurrit cephalaea fomento domestico mitigata, 15-a comparet imbecillitas extremitatum lateris dextri ita: ut aegre tantum ambulare quiverit. 16-a motus earum ita fit impeditus, ut aegro solum motus quispiam concessus sit, ambulatione penitus denegata, e consilio chirurgi contra alvum habitualiter obstipam adhibet aquam scheidschützensem, alvum evacuat sine morbi levamine, imo cephalaea ultro in aegrum saevit, ideo 17-a emplas. cantharidum nuchae applicatur, infusum ex hederā terrestri, arnica, et saponaria, tum pilulae ex assa foetida, aloë succotrina, zingiberē, et elixirio proprietatis acida constantes ab aegro sumuntur sine levamine, imo accedit impotentia linguam movendi, tonos articulatos distinctos proferendi; ideo 20-a vena sectio in brachio sinistro ad un-sex sine levamine instituitur, imo comparent vesperi convulsiones lateris sinistri. Hoc in statu aeger 21. Junii in Clinicum suscipitur ubi observare licuit virum robustum tonos articulatos in-

distinctos proferre, linguam versus dextrum latus  
 detorqueri; quam exporrigere potest, manus diffi-  
 culter, extremitatem inferiorem dextram vix movere  
 valuit, imprimis vero illam levare eidem denegatur,  
 alvum habet habitualiter obstructam, urina colore  
 profundiori tincta visa, febris nulla. 22-a in deco-  
 cto taraxaci arcan dupl. et extracti liquiritiae aa.  
 drach. duae propinantr, assumpta medicina tota,  
 alvus una sequitur, symptomata reliqua in eodem  
 statu perdurant. Vesperi surgere tentans corripitur  
 convulsionibus extremitatum lateris sinistri, brevi  
 tamen disparentibus, nox pacata. 23-a in decocto  
 hordie nitrum ad drach. unam cum oxymelle sim-  
 plici aegro porrigitur, diaeta tenui tantum concessa,  
 quiete summa commendata. Status idem fere perdu-  
 rat, linguam tamen facilius porrigitur, et voces ma-  
 gis distinctos proferre valet, alvus nulla sequitur.  
 24-a scopo congestionem sanguinis ab encephalo et  
 medulla spinali revellendi calomelis grana duo di-  
 gitalis purp. gran. unum pro die cum extract. li-  
 quirit in pilulis quatuor aegro exhibentur, externe  
 vero ung. althaeae cum ung. hydrargiri cinereo bis  
 per diem secundum longitudinem spinae dorsi in-  
 ungi jubetur. Sub usu horum usque 27-am conti-  
 nuato, convulsiones nullae comparent, cephalaea in-  
 minuitur, loquela magis expedita fit, motus extre-  
 mitatum facilior redditur, nec tamen femur dex-  
 trum levare valet, alvus sequitur libera, urina ad-  
 huc profundius tincta observatur. 28-a usui pilula-  
 rum decoctum arnicae e flor. drach. una paratum  
 additur, sub usu horum usque 1-am Julii continua-  
 to incessus in dies fit facilior, vox magis expedita,  
 cephalaea minor, lateris sinistri extremitates minus  
 sensiles, quasi pastaceas esse dicit, manu tamen si-  
 nistra comedere, et digitos in unum nodum compo-  
 nere valet, quod manu dextra efficere non potest;  
 alvus est libera, urina profundius tincta, sedimen-  
 to puriformi instructa. 2-a decoctum idem e drach.

duabus paratum aegro exhibetur, usu pilularum se-  
posito, externae ung. antimoniale secundum longi-  
tudinem spinae dorsi bis per diem inungitur, et  
frictio setaceo molli bis per diem instituenda ordi-  
natur, his usque 3-iām continuatis symptomata mor-  
bi parum inminuuntur. 4-ta pustulis productis un-  
guentum seponitur, reliquis continuatis. Motus la-  
teris dextri liberior evadit, in brachio vero et ma-  
nu sinistra tensio dolorifica sentitur, secus status  
idem. 5-a 6-ta eadem continuantur 7-a balneum elec-  
tricum in usum vocatur, cui aeger per  $1\frac{1}{4}$  horae  
insidet, reliquis continuatis. Adhibentur haec us-  
que 10-am eo effectu: ut statu lateris dextri ali-  
quantum emendato, is lateris sinistri idem perdu-  
raret. 11-a ob nauseam erga decoctum datur aegro,  
pul. rad: arnicæ et extr. ejus ad gran. quin  
decim pro die forma pilulari in quatuor dosi-  
bus, reliquis continuatis. Continuat emendatio in  
latere dextra, perstat status lateris sinistri, ideo 13-a  
oleum hyosc coctum pro inunctione extremitatis  
sinistrae ordinatur, reliqua continuantur. Motus la-  
teris dextri semper facilior, tensio dolorifica lateris  
sinistri prima die inunctionis minor; dein iterum  
rediit, accedit tensio dolorifica in lumbis, humeri  
quoad altitudinem magis aequabiles, qui prius in  
aequales aliquantum erant, alvus obstipa, ideo 16.  
pilulae ex aloe et extract cent. min. aa. gran. quatuor  
curantur fieri numero quatuor, ut inde aeger su-  
mat dum alvum non habet vesperi unam, et si alvus  
non sequeretur, mane alteram, simul hoc die usus  
balnei vaporis aucto caloris gradu ad 32 R. factus  
est, electricitas, frictio sepositae. Post usum balnei  
sudor largus universalis sequitur cum levamine ma-  
gno tensionis dolorificae brachii sinistri, ast insinuat  
se major gravedo antibrachii, et motus ejus diffici-  
lior, alvus una. Sub usu balnei, tum electricitatis  
ac frictionis alternis diebus, usu arnicæ continuato  
observantur dolores brachii et manus sinistrae, et

tensio regionis lumbalis ejusdem lateris jam exasperari, alias imprimis post balneum vaporis inminui, motu lateris dextri multum emendatio 23-a usus arnicae seponitur, solum balneum vaporis adhibetur cum aliqua inminutione dolorum. 24-a scopo antagonistico empl. cantharidum ad regionem originis dolorum applicatur, electricitate et frictione continuatis, dolores ab emplastro contharidum excitati, primitivos non adeo percipere faciunt, alvus jam sponte, jam ad usum pilulae aloeticae sequitur, urina sedimento puriformi instructa visa. 25-a aeger sine medicina relinquitur, dolores in extremitate sinistra superiore inminiuntur, dextri lateris status aliquantum emendatur. 26-a ad alvum liberam servandam, tart. emet. gran. semis cum rheo ac extract. tarax. aa. gran. sedecim in pilulas sedecim subigi jubemus ut haec per biduum absumentur, externe vero ad vim vitalem excitandam, tart. emet. scrupulus unus pro dosi pro manuluvio, et lotione brachii ac antibrachii quotidie bis instituendis ordinatur, reliquis sepositis, sub usu horum remediorum die 1-a dolores brachii et manus augentur, sequentibus vero inminiuntur constanter, motus lateris dextri normalis, alvus libera evadit. Hoc instaurando die 28-a medicaminibus instructus dimissus est.

## 2.) Febris gastrico catarrhalis rheumatica.

R. T. habitus teneri annorum 29. vaccinata, tumorem colli qui in supurationem transivit, tineam capitis, et morbillos aetate teneriori feliciter exanthemavit. Catamenia anno 14 comparuere semper regulariter fluentia, anno aetatis 20 marito juncta mater plurium prolium quas facile genuit evasit, ultimam 12-a ab hinc hebdomade peperit, quam usque morbi praesentis exordium lactavit. — Rheumatis-

mo extremitatum a sex annis affligitur, periodice cum tempestate humido frigida recurrente. 30. Junii a. c. refrigerio admisso corripitur cephalaea intensa, et doloribus lancinantibus extremitatum inferiorum, accedunt et motus febriles. Sequentibus diebus morbus perdurat, imprimis noctu exacerbandus. 2-a Julii Chirurgus aegrae dat emeticum, ad quod vomitus sexies, et toties alvus liquida sequitur sine levamine, imo debilitate increcente; cephalaeae intensae emplas. canthar. opponitur, mitigatur cephalaea, ast reliquus morbus perdurat, propter debilitatem diebus sequentibus medicina roboranti stimulans ordinatur sine effectu, imo tardius et tussis se adsociat cum sputis mucosis: his accedit et dolor regionis umbilicalis ad pressionem augendus, insinuat se quoque susurrus aurium, barycoia, calor molestus, diarrhaea continuante. Hoc in statu aegra in<sup>o</sup> Clinicum 8-a Julii suscipitur, ubi observare licuit debilitatem muscularum magnam, cutis valde sicce calorem auctum, pulsum frequenter, debilem, mollem; caput accusatur grave temulentum; adest susurrus aurium, lingua arida per vices praerubra, sitis intensa, appetitus cibi prostratus, tussis sat frequens, cum sensu pressionis sub streno, dolore in regione umbilicali evanido; alvus sub usu decocti salep per noctem nulla, urina exstat coloris profundioris, dolores extremitatum perstant. 9-a decoctum salep cum spirit vitrioli drach. una, et syrup. rubi idaei un. una ordinatur. Aegra hilarior visa, pulsus magis levatus, lingua humida, alvus nulla, urina sedimento purisormi instructa, reliqua in eodem statu perdurant. 10-a decocto eodem repetito sinapismus pectori, et abdomini scopo revellente apponitur. Dolor est exiguis, cephalaea minor, tussis cum sputis rarior, lingua humida, appetitus cibi prostratus, sitis magna, susurrus aurium perdurat, dolores extremitatum minores, pulsus est adhuc frequens, alvus una,

urina uti heri. 11-a spirit. vitrioli ad drach. unam et semis aegrae datur, simul scopo vires langventes erigendi, sulfas chinini ad gran. tria cum pulv. cort. cass. lignae gr. sex ac sacch. albi in dosibus sex per diem aegrae exhibetur. Aspectus aegrae est hiliarior, caput minus grave, lingua humida, susurrus aurium evanescit, pulsus est minus frequens, ast tussis aegram molestat magis cum sensu ponderis in pectore, sputa sunt copiosa, mucoso glutinosa, alvus bina, urina sedimento puriformi instructa. 12-a sub therapia eadem continuata, tussis fit frequentior sicca, dolor in pectore sub tussi perstans, cetera symptomata morbi inminuta sunt, dolores pedum dispersi, alvus bina, urina sedimento puriformi instructa. 13-a camph. ac sulf. aurat. ant. aa. gran. semis pro die cum sach. albo in sex dosibus aegrae datur, decocto salep repetito, diaeta ad 1/4 elevatur. Tussis est rarer, dolor sub sterno perstans, sputa sanguine tincta, alvus bina, urina eadem. 14-a sub therapia hesterna tussis quidem rara, sed adhuc vehemens est, sputa pauciora, dolor pectoris perdurans, in trunco miliaria comparent, alvus bina liquida, urina ut heri. 15-a et 16-a sub therapia eadem tussis eodem tenore perstat, sputa pauca, sudor moderatus corpus reficit, alvus bina diarrhoeica debilitans deponitur, dolor sub sterno perdurat, urina sedimento puriformi instructa, miliaria persistantia. 17-a ad diarrhoeam a debilitate tubi intestinalis dependentem sufferendam, praeter pulv. continuandos, decoctum lichenis island. e drach. duabus paratum cum syr. pap. albi aegrae datur. Tussis eadem, debilitas corporis minor accusatur, alvus una subsequitur, urina sedimento puriformi instructa visa. 18-a therapia eadem continuata tussis eadem perstat sicca, alvus una sequitur, urina sedimento descripto instructa visa. 19-a ob tussim praesentem, seposito usu pulverum, ad decoct. lich. island. extract. hyosciami ad gr. duo additur. Sub horum usu

et 20-a continuato tussis fit mitior, sputis paucioribus nexa, habitus aegri fit melior, alvus una evanescatur, urinae conditio perstans. 21. extract. hyosciami ad gran. tria augetur, et simul jus vinaceum conceditur. Augetur tussis, noctem totam impacatam reddens, in reliquo emendatio continuat. 22-a usus juris vinacei seponitur, medicina altera continuata. Tussis remittit, sputa pauciora observantur, alvus una sequitur, urina sedimento puriformi instructa visa. 23-a extract. liyosciami [ad gr. quatuor augetur, et eodem scopo unq. althaeae cum unq. hyosciami mixtum regioni sternali bis per diem intungi jubetur, ad magnitudinem nucis juglandis regiae unq. sumendo; tussis sicca perstat, sputa pauca glutinosa, alvus una normalis, urina sedimento puriformi instructa, 24-a idem extract. ad gran. sex aegrae propinatur, et unq. autenrithii pectori intungi jubetur. Tussis est rarer, sputa pauca glutinosa, alvus normalis, debilitas tamē muscularis adhuc major, ideo 26-ta cum lych. island. et chiae fuscae drach. duae decoquuntur, reliquis continuatis, sub horum usu pustulae copiosae producuntur, sub quorum proruptione tussis inminuitur, vires musculares redeunt. 27-a 28-a 29-a 30-a seposito unq. medicina interna continuatur eo effectu: ut cessante omni morbo 31-a sanitati relativae restituta dimissa fuerit.

---

## T h e s e s.

1.

*Processus chemicus in internis organismi non existit;*

2.

*Igitur nec actio remediorum chemica admitti potest.*

3.

*Fluida organismi vivi solidis haud minori gaudent vitalitate.*

4.

*Nullum contagium in solam cutem agit.*

5.

*Hepar non soli secretioni , sed et assimilationi praeest.*

6.

*Mutationes atmosphaerae relate ad miscionem et temperaturae gradum , magnos influxus exerunt in organismum vivum.*

7.

Medicus unilateralis, unilateralem quoque tantum scientiam habet.

8.

Est amaurosis quae antiphlogisticis sanatur.

9.

In inflammationibus intensis cura exspectativa non est commendanda.

10.

Donec vires naturae ad partum perficiendum sufficiunt, ars omnis et instrumenta omnia vitentur necesse est.

11.

Anatomiae comparativae utilitas in medicina magna est.

12.

Arthritis non in omnibus hominibus eadem, nec in omnibus iisdem tollitur pharmacis.

---